GUGLIELMO

PRUSSIÆ REGI

ET

GERMANIÆ IMPERATORI

DICATUM.



FLORENTIÆ,
EX TYPIS BARBERÆ.

MDCCCLXXIII.

GUGLIELMO

PRUSSIÆ REGI

ET

GERMANIÆ IMPERATORI

DICATUM.



FLORENTIÆ,
EX TYPIS BARBERÆ.

MDCCCLXXIII.

PARVA IN MAGNIS.

CARMEN.

. . . . È tutta,
In ogni umano stato, ozio la vita.
LEOPARDI.

TRISTIOR ulla dies: pejor nox ingruit unquam.
Tempestas sine fine furit; ruit arduus æther
Diluvio terras miscens, tonitruque resultant
Ardua Phavalis. [1] Sabati [2] vallesque profundæ:
Caligant silvæ, boreis glacieque rigentes;
Impediunt gressum vepres et semita fallit.
Sed vigilum excubiæ loca circum accomoda fraudi
Rite tenent; stant quacumque ad divortia nota.
Opportuna mihi, salve, gratissima crypta! [3]
Tu nunquam geniale sonans, tu ignota Camœnis,
Perfugium et nuper turum, nunc accipe vatem.
Ipse tibi grates referam, cautesque, tuamque
Purificabo auram Musarum numine sancto.

[1] *Ardua Phavalis* — Apennini cacumen, Salernum inter et Avellinum.

[2] *Sabati* — Torrens subterlabens, in agro Avellinensi.

[3] Spelunca *Trinitatis* sub monte Phavali, qua Mantius et prædones ejus jam antea delituerant.

Polluta hospitia et labem novus eximit hospes
In latebris nomen signans, et honore recenti
Te, horrenda in nocte, accumulans. Ah! nunc Deus adsit.
Perpesssi esuriem et ventos, pluviaque sepulti,
Frigore contracti, vel gens moritura, canamus:
Quisque canat patiens: "Habitârunt Di quoque silvas."
Sed canis extemplo extat hians et inhorruit armos,
Lumina figitque in dumis: quid? — Bellua transit.
Perculsa ingenti rerum formidine cedit. —
Parce, Liciscа, metu: recuba, dum carmina condo.
". . . . . È tutta,
In ogni umano stato, ozio la vita."
Stultitiæ ah! pudeat, Receneti altissime vates.
Munere tu laudum incensus, tuque acer avorum
Relliquias, arcus, turres, simulacra, columnas
Degenerem in pubem qui carmine concussisti;
Si, patriam visens, Geofani forte per auras
Remigio alarum celsa libratus in arce
Adstiteris, vultumque iratum ad sæcula torques;
Consilia in melius referens, justusve, piusve,
Quo sale nostra ceres medicata, et quæ otia nobis,
Qui labor, aut ratio, quæ sit fortuna videbis.
Quis procul elatus sublimi in vertice Titan,
Concilians æstu chalybes? — [1] Phlegræus et ille est,
Fulmina qui tot adit, lustrat qui horrentia, tunc, cum
Mons reboat rupto tonitru, tot et antra Vesevi:
Flammarum contraque globos, superante favilla,

[1] Prof. Palmieri.

In cinerum nimbo, barathrûmque undante ruina,
Hic placide exultans animis, incumbit in arte;
Atque instrumentis cœlumque erebumque fatigat
Exercetque chaos. Speculatur ut intimus orbis
Spiritus atque vigor, magnes, stricturaque candens,
Inclususque vapor, motus terræque profundi,
Congeries, fremitus, sulphur, lux, bulla mephitis,
Legibus inter se coeant pugnentque seorsum,
Dum ferri graciles artus spiræque metalli
Titillant multa, arcanum vel cuspis anhelat.
Monstra diu versans atque ordine cuncta rependens,
Hic causas statuit rerum ambagesque resolvit. —
Numine hic afflatus [1] cœli spatia alta metitur.
Firmamenta polo per vitrum arcessit ab alto;
Fata planetarum penitus cognoscit et horas,
Pondera, discrimen, vastosque per æthera gyros;
Aut Phœbi exquirit maculas, duplicemque coronam
Saturni, aut Lunæ faciem; numeratque, notatque
Cuncta sigillatim, ceu rem describat avitam. —
Vertit hic in silicem corpus, totum instar in ipso: — [2]
Simplicibus creat ille novas ad pabula carnes;
Integrat aut ævum, transfundens sanguine venas: [3]
Efficit ut, pilulis haustis a pectore inani,
Ars ope sustentet, munus perfuncta caloris. — [4]
Detegit antiquis exæsa oracula saxis; — [5]
Floribus indulget; — cantu modulatur *Aidam.* — [6]

(1) Padre Secchi. (2) P. Gorini. (3) Prof. Albini. (4) G. Liebig. (5) Prof. Fiorelli. (6) Verdi.

Suspensusve globo, natat ille per æra magnum,
Dædalus ad studia, aut urbis speculator in hostes; —
Telluris quando ima petens, quando æquoris ima,
Carbonem Steropes, vellitque coralia Pristis. —

Undique fervet opus, resonant incudibus urbes;
Prodigio unusquisque suo se attollit ad astra:
Ipsa ministeria inventis inventor et indens,
Materias docet exsortes, industria motum.
Æra fluunt: spirisque ligans ingentibus orbem,
Funis it, electris acta ac mandata coruscans.
Anxius ingeniis, urget vulcanus aratra;
Sollicitaque manu texit, suit, imprimit, omne
Munus init rapide, secat æraque et arma recudit:
Arctus et in curru, bombos ex gurgite perflans,
Turbinis in morem ruit axis ab igne volutus;
Flamine sic celerat, sic vi violentia gliscit.
Propulsat puppes, alto, renuente procella:
Alpium et ipsarum potis est terebrare latebras.
Insuetum per iter, rubrum mare sulcat ad Indos
Navita, qua multo freta sunt confossa ligone,
Oceanique, sinu labens, interluit unda:
Insuetum per iter, qua plurimus incubuit mons,
Antra manu laborata diu jamque ignifer axis
Corripit, alta ciens, victorque foramina tranat.

Nusquam ætas teritur: quippe omnia plena laboris
Per terras, tractusque maris, per sidera late;
Et populi et reges summa nituntur opum vi
Res cunctas celerent et bello et pace superbas.

Assidue qui multa tulit. qui sudat et alget,
Consulit et laudem dignos impendere in usus,
Virtute hic præstans. gentes supereminet omnes,
Imperiis cohibetque suis. En Teutonus armis
Pro Patria insurgens! . . Hinc bello fulminat Istrum,
Hinc Rhenum. herculeo promens miracula nisu.
Huc Liger. huc tumidos ingenti clade Mosella
Devolvunt fluctus, huc Matrona, Sequana. Dubis.
Eruit ille urbes Gallorum et funditus arces:
Agmina confregit, confractaque dispulit ultro.
Vel folia autumni stridens Aquilone procella:
Imperium et gazas, signa armaque. sceptra domumque
Turbine corripuit. totoque a culmine vertit:
Quidquid Galliæ erat, monumentum immane triumphis!
Ingeminant plausum populi: Germania, salve!
Jo! . . Jo! . . Italiæ redimita per æthera longum
Diditur, æternumque sonant SADOWA! SEDANQUE!

Qui Cæsar! quæ Majestas! quæ exordia Gentis!
Et, si incredibilis rerum fama occupet orbem,
Heroum incrementum ingens, FREDERICIA PROLES;
Quæ struis. et cœptis quæ mox deducta trahentur.
Magna tamen super et magnis et maxima fient. —

Hæc inter, nobis quæ curæ? Vel quibus ipsi
Auguriis agimur? Quid vult concursus ad antra? —
In tenui labor atque opus est: — ubicumque latronem
Vestigare diu; in solo latrone morari. —
Sed Patriæ id prodest: id porro sufficit optem.
Sit fas ob Patriam semper mihi fortia passo

Italiam! Italiam! votis celebrare per ævum;
Atque, etiam ad parva, immensos perferre labores:
Felix! si tantum liceat, pro munere nostro,
Nunc hieme exhaustus, solis obscurus in umbris,
Hic, saxis, dumisque suis sancta oscula figam.

Giffone-Valle-Piana (Provincia di Salerno)
addì 22 Febbraio 1873

Giuseppe Petriccioli
Capitano nel 9° Reggimento Bersaglieri.

[illegible]